

tibus. Numquid non videntur? Et beate. Nimirum visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Denique jam concives Sanctorum, et domesticus Dei psallunt pariter, et gratias agunt, dicentes: Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium. Transierunt plane viriliter, et feliciter pertransierunt. Transierunt per ignem et aquam, quos neque tristitia frangere, nec detinere mollia potuerunt.

℟. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et Angelus Domini locutus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium caelum, voce magna clamantem, et dicentem. — Isti sunt.

Lectio v.

Lætémur, quod Pontifices nostri ascenderunt ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungentes, corda nobis concilians. Beatorum, vota illis intimantes miserorum. Lætémur, inquam, et exsultémus, quia celestis illa curia ex nobis habet, quibus sit cura nostri,

qui suis nos protegant meritis, quos informaverunt exemplis, miraculis confirmaverunt. Sancti Pontifices, qui in spiritu humilitatis hostias pacificas caelis frequenter invexerant, per semetipsos introverunt ad altare Dei, ipsi hostiae, et sacerdotes.

℟. Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: * Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. ℣. Cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. — Gaudete.

Lectio vi.

Benedictus Dominus Deus, qui tantorum Pontificum ministerio visitavit plebem suam. Et nunc assumptis iis in sanctam civitatem, tantae recordatione suavitatis nostram non desinunt consolari captivitatem. Exsultent in Domino eorum spiritus, quod levati ponderis corporeae molis, nulla jam faeculenta, vel terre-

na materia praegravatur, quo minus tota alacritate ac vivacitate corpoream omnem, et incorpoream transeuntes creaturam pergant toti in Deum, et adherentes illi, unus sint cum eo spiritus in aeternum. Domum istam decet sanctitudo, in qua tantae frequentatur memoria sanctitatis.

℟. Isti sunt. [13]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. Cap. xvj. b

In illo tempore: Venit Jesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papae. **Serm. ij. in anniversario assumpt. suae, ante med.**

CUM, sicut evangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum (multis diversa opinantibus) crederent; respondissetque beatus Petrus, dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi: Dominus ait: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non

revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.

℟. Amavit eos Dominus, et ornavit eos: stolam gloriae induit eos, * Et ad portas paradisi coronavit eos. ℣. Induit eos Dominus loricae fidei, et ornavit eos. — Et.

Lectio viiij.

In universa namque Ecclesia, Tu es Christus Filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit: et omnis lingua, quae confitetur Dominum, magisterio huius vocis imbuitur. Haec fides diabolum vincit, et captivorum ejus vincula dissolvit. Haec erutos mundo, inserit caelo, et

portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas: ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoratur, in quo et omnium pastorum sollicitudo, cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus etiam dignitas in indigno herede non deficit.

R. Isti sunt qui ante Deum magnas virtutes operati sunt, et omnis terra doctrina eorum replata est: * Ipsi intercedant pro peccatis omnium populorum. **V.** Isti sunt qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad cælestia regna. — Ipsi. Glória Patri. Ipsi.

Lectio ix. de Homil. Dominicæ occur.; alias:

Lectio ix.

CUM ergo cohortationes nostras auribus vestræ sanctitatis adhibemus, ipsum vobis, cujus vice fungimur, loqui cré-

dite: quia et illius vos affectu monemus, et non aliud vobis, quam quod docuit, prædicamus: obsecrantes, ut succincti lumbos mentis vestræ, castam et sobriam vitam in Dei timore ducatis. Coróna mea, sicut Apóstolus ait, et gaudium vos estis, si fides vestra, quæ ab initio Evangelii in universo mundo prædicata est, in dilectione et sanctitate permanserit. Nam licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter ceteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa apostolicæ petreæ arce fundatos, et Dominus noster Jesus Christus cum omnibus redemit, et beatus Apóstolus Petrus præ omnibus erudit.

Te Deum laudamus. 18.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Sancti tui * Domine florébunt sicut lílium, et sicut odor balsami erunt ante te.

2. In cælestibus regnis * sanctorum habitatio est, et in æternum requies eorum.

3. Corpora sanctorum * in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivent in æternum.

4. Spiritus et animæ justorum hymnum dicite Deo nostro, allelúia.

5. Fulgebunt justii * sicut sol in conspectu Dei.

Capitulum. Hebr. xiiij.

FRatres, Mementote prepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuents exitum conversationis, imitami fidem.

Hymnus.

REX gloriöse Præsulum, Coróna confitentium, Qui respuentes térrea Perdúcis ad cælestia.

Aurem benignam prótinus

Appone nostris vócbus: Trophæa sacra pangimus, Ignosce quod deliquimus.

Tu vincis in Martyribus, Parcendo Confessoribus: Tu vince nostra crimina, Donando indulgéntiam.

Deo Patri sit glória, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu Paráclito, Et nunc, et in perpétuum.

Amen.

V. Justos deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illis regnum Dei.

Ad Benedictus, Añæ. Vos estis lux mundi: non est civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub módio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

Oratio.

DEus, qui populis tuis indulgéntia cónsulis, et amore dominaris: da spiritum sapiéntiæ suffragántibus méritis Antístitum Ecclesiæ tuæ, quibus dedisti régimen disciplinæ; ut de profectu sanctorum ovium, fiant gaudia æterna pastorum. Per Dóminum.

Et fit Commemor. Dominicæ occurrentis.

AD TERTIAM

Capit. Fratres, Mementote. ut supra.

R. br. Lætámini in Dómino, * Et exultate justii. Lætámini. **V.** Et gloriámini omnes recti corde. Et exultate. Glória. Lætámini. **V.** Exsúltent justii in conspectu Dei. **R.** Et delectentur in lætítia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. xx.

Atténdite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus pó-

suit Episcopus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

R. br. Exsultent justi, * In conspectu Dei. Exsultent. **V.** Et delectentur in lætitia. In conspectu.

Glória Patri. Exsultent.

V. Justi autem in perpetuum vivent. **R.** Et apud Dñum est merces eorum.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. xiiij. c. **O** Bedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

R. br. Justi autem, * In perpetuum vivent. Justi. **V.** Et apud Dñum est merces eorum. In perpetuum. Glória Patri. Justi.

V. Exsultabunt sancti in glória. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

IN II. VESPERIS.

Añæ, Capit. et Hymnus ut in Laudibus. [352]

Psalmi de Dominica, 141. et loco ultimi, Ps. Memento. 155.

V. Elégit eos Dñus sacerdotes sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Magnif. Aña. Dum essent summi Pontífices, terréna non metuérunt,

sed ad cœlestia regna gloriósi migráunt.

**Commemoratio Domini-
cæ occurrentis.**

DOMINICA III. JULII.

SS. Redemptoris.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Aña 1. Virgam virtutis suæ emittet Dñus ex Sion, et regnabit in sæculum sæculi.

Ps. Dixit Dñus. 141.

Aña 2. Redemptionem misit Dñus pòpulo suo: mandavit in ætérnum testaméntum suum.

Ps. Confitebor in consilio. 142.

Aña 3. Misericórdia mea, et refúgium meum Dñus : susceptor meus, et liberátor meus.

Ps. Crédidi. 146.

Aña 4. Apud Dñum misericórdia, et copiósa apud eum redemptio.

Ps. De profundis. 153.

Aña 5. In quacúmque die invocávero te, exáudies me : multiplicábis in ánima mea virtútem.

Ps. Confitebor tibi quóniam. 159.

Capitulum. Tob. iij.

Benedictum nomen tuum, Deus patrum nostrorum : qui cum irátus fúeris, mi-

sericórdiam fácies, et in tẽpore tribulatiónis peccáta dimittis his, qui invocant te.

Hymnus.

C Reátor alme siderum, **A**eterna lux credentium,

Jesu Redemptor omnium, Intende votis supplicum.

Commune mundi nefas Ut expiáres; ad crucem

E Virginis sacrário

Intácta prodis víctima.

Cujus potestas glóriæ, Noménque cum primum sonat;

Et Cœlites, et inferi Tremente curvántur genu.

Qui dæmonis ne fráudibus

Periret orbis, ímpetu

Amóris actus, lánguidi

Mundi medéla factus es.

Te deprecámur últimæ

Magnum diéi Júdicem;

Armis supérnæ grátiae

Defénde nos ab hóstibus.

Jesu, tibi sit glória,

Qui natus es de Virgine,

Cum Patre, et almo Spiritu,

In sempiterna sæcula.

Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.

V. Redemisti nos Dñmine in sanguine tuo.

R. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Aña. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generatiónes generatiónum, allelúia.

Oratio.

Deus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituisti, et per eum, devicta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti : concéde, ut hæc beneficia recolentes, tibi perpétua caritate adhærere, et ejúsdem redemptionis fructum percipere mereámur. Per eúdem Dñum.

Commemor. Dominicæ occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitator. Redemptórem sæculórum, ipsum Regem Angelórum, * Adorémus Dñum. **Ps. Veníte. 2.**

Hymnus.

Rerum Créator óptime, **R**ectorque noster aspice :

Nos a quiete nóxia

Mersos sopóre libera.

Mentes, manusque tollimus,

Prophéta sicut nóctibus Nobis geréndum præcipit, Paulúsque gestis cénsuit.

Te, sancte Christe, póscimus,

Ignósce culpis ómnibus :

Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna secula.

Amen.

In I. Nocturno.

Añã. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Psalmus liij.

Bomine quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi : * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum : * et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me : * exsurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi

sine causa : * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus : * et super populum tuum benedictio tua.

Añã. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Añã. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psalmus viij.

Quoniam elevata est magnificentia tua, * super celos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo celos tuos, opera digitorum tuorum : * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum : * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas : insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Añã. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Añã. Dominus in templo sancto suo : Dominus in cœlo sedes ejus.

Psalmus r.

In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt : * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo, * Dominus in cœlo sedes ejus :

Oculi ejus in pauperem respiciunt : * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium : * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores

lâqueos : * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus et justitias dilexit : * æquitatem vidit vultus ejus.

Añã. Dominus in templo sancto suo : Dominus in cœlo sedes ejus.

V. Redime me Domine, et miserere mei. **R.** In Ecclesiis benedicam te Domine.

De Isaia Propheta.

Lectio j.

Cap. ij.

Audite me qui sequimini quod justum est, et quaeritis

Dominum : attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. Consolabitur ergo Dominus Sion,

et consolabitur omnes ruinas ejus : et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini.

Gaudium et lætitia inveniatur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.

Attendite ad me popule meus, et tribus mea me audite : quia lex a me exiit, et judicium meum in lucem populorum requiescet.

Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus, et brachia

Salvator meus, et brachia

mea pópulos judicábunt : me ínfulæ exspectábunt, et bráchium meum sustinébunt.

R. Vidi Dóminum sedentem super sólium excelsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum.

V. Séraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri. — Et ea.

Lectio ij.

LEváte in cœlum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum : quia cœli sicut fumus liquéscunt, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut hæc interíbunt : salus autem mea in sempiternum erit, et justítia mea non deficiet. Audíte me qui scitis justum, pópulus meus lex mea in corde eórum : nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphemias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorábit eos tinea : Salus autem mea in sempiternum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum.

R. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi : * Aperi óculos tuos, et vide tribulatióem nostram. **V.** Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. — Aperi.

Lectio iij.

Consúrge, consúrge, indúere fortitudinem bráchium Dómini, consúrge sicut in diébus antiquis, in generatióibus sæculórum. Numquid non tu percussisti supérbum, vulnerásti draconem? Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi vehementis : qui posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberátí? Et nunc qui redempti sunt a Dómino, reverténtur, et vénient in Sion laudántes, et lætítia sempiterna super cápita eórum, gáudium et lætítiam tenébunt, fúgiet dolor et gémitus. Ego, ego ipse consolábor vos : quis tu ut timéres ab hómine mortáli, et a filio hóminis, qui quasi fœnum ita aréscet? Et oblítus es Dómini factóris tui, qui teténdit cœlos, et fundávit terram : et formidásti júgiter tota

die a fácie furóris ejus, qui te tribulábat, et paráverat ad perdéndum : ubi nunc est furor tribulántis? Cito véniet grádiens ad aperiéndum, et non interficiet usque ad internecióem, nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dóminus Deus tuus.

R. Deus, qui sedes super thronum, et júdicas æquitátem, esto refúgium pauperum in tribulatióne : * Quia tu solus labórem, et dolórem consideras.

V. Tibi enim derelíctus est pauper, pupíllo tu eris adjútor. — Quia tu solus. **Gloria Patri.** Quia tu solus.

In II. Nocturno.

Añã. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Psalmus cix.

QXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * próteget te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxiliúm de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábitur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus dexteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligátí sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus, et erecti sumus.

Dómine saluum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocáverimus te.

Añã. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Añã. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salútes in Jacob.

Psalmus cxij.

Domini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina preparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio querentium eum, * querentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in proelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Añã. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Añã. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

Psalmus rlv.

Deus noster refugium, et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur ter-

ra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus, in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt Gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburent igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Añã. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

V. Meménto nostri Domine in beneplácito populi tui. **R.** Visita nos in salutari tuo.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. j. de jejunió decimimensis et collectis.

Lectio lb.

SI fideliter, dilectissimi, atque sapienter creatiõnis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris: et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo, divinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparatiõnis nostræ non est, nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, et tenebras ignorantiae nostræ, suæ veritatis luce discuteret.

R. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea. **V.** Dó-

minus pars hereditatis meæ, et calicis mei. — Propter.

Lectio v.

Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: et ut in nobis formam suæ bonitatis inveniat, dat unde ipsi quoque, quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ caritatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen paritas voluntatum sæpe in reprobos tendat affectus: quantum nobis optandum atque nitendum est, ut in nullo ab iis, quæ Deo sunt placita, discrepemus? De quo dicit Propheta: Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus: quia non aliter nobis erit dignitas divinæ majestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis.

R. Apud Dominum misericordia, * Et copiosa apud eum redemptio. **V.** Húmiles spiritu salvabit. — Et copiosa.

Lectio vij.

Dicente itaque Domino: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum sicut teipsum, suscipiat fidelis anima auctoris sui, atque rectoris immarcescibilem caritatem, totamque se etiam ejus subiciat voluntati, in cujus operibus, atque judiciis nihil vacat a veritate justitiae, nihil a miseratione clementiae. Quoniam etsi magnis quis laboribus, et multis fatigetur incommodis, bona est illi causa tolerandi, qui se adversis vel corrigi intelligit, vel probari.

R. Rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum. * Et Deus excelsus Redemptor eorum est. **V.** Et pavit eos in innocentia cordis sui. — Et Deus. **Gloria Patri. Et Deus.**

In III. Nocturno.

Añã. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvavit me.

Psalmus lx.

Xaudi Deus deprecationem meam: * intende orationi meae.

A finibus terrae ad te clamavi: * dum anxietur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: * turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula: * protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: * dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies: * annos ejus usque in diem generationis et generationis.

Permanet in aeternum in conspectu Dei: * misericordiam et veritatem ejus quis requirit?

Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Añã. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvavit me.

Añã. Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Psalmus lxxij.

Confitebimur tibi Deus: * confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: * cum accipero tem-

pus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite iniquae agere: * et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus: * quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exultat: * quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen faex ejus non est exinanita: * bibent omnes peccatores terrae.

Ego autem annuntiabo in saeculum: * cantabo in Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: * et exaltabuntur cornua justorum.

Añã. Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Añã. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Psalmus lxxvij.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui:

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei : * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus : * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulat in innocentia : * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Añā. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

V. Notam fecisti in Gentibus virtutem tuam.

R. Redemisti in brachio tuo populum tuum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. **Cap. iij.**

IN illo tempore : Dixit Jesus Nicodemo : Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Ex Tract. in cap. iij. Joan.



Emo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit. Descendit enim, et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte. Morte occisus, mortem occidit.

Et nostis, fratres, quia mors ista per diaboli invidiam intravit in mundum. Deus mortem non fecit, Scriptura loquitur : Nec laetatur, inquit, in perditione vivorum; creavit enim, ut essent omnia. Sed quid ibi ait? Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a diabolo propinatam non veniret homo vi adactus; non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Si non consentiret, nihil invexerat diabolus; consensio tua, o homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, et ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales; Jesus autem Filius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, unicus, aequalis Patri, mortalis factus est, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Si ergo mortem suscepit, et mortem suspendit in cruce, de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, commemoravit illud Dominus.

R. Laudabilis populus,

* Quem Dominus exercituum benedixit dicens : Opus manuum mearum tu es : hereditas mea Israel.

V. Beata gens, cujus est Dominus Deus, populus electus in hereditatem. — Quem.

Lectio viij.

ET sicut, inquit, Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis : Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors vitae. Nonne vita Christus? Et tamen mortuus est Christus.

R. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum :

* Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth : * Plena est omnis terra gloria ejus. **V.** Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus : et hi tres unum sunt. — Sanctus. Gloria. Plena.

Lectio ix. legitur de Homilia Dominicae occurrentis; si vero transferendum sit, tunc erit sequens.

Lectio ix.

INterim modo, fratres, ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur, quia sicut Moyses, inquit, exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quomodo, qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum : sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem : hic autem ait, ut habeant vitam aeternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem, et rem ipsam : figura praestabat vitam temporalem; res ipsa, cujus illa figura erat, praestat vitam aeternam.

Te Deum laudamus. 18.

AD LAUDES,

et per Horas, Añae.

I. Cantate Domino, * quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra.

2. Ecce Deus * Salvátor meus, fiduciáliter agam : quia factus est mihi in salutem, allelúia.

3. Hauriétis aquas * in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

4. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus.

5. Exsúlta, et lauda* habitatio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israel.

Capitulum. Tob. iij.

Benedictum nomen tuum, Deus patrum nostrórum : qui cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimittis his, qui invocant te.

Hymnus.

Salútis humanæ Sator,
Jesu volúptas córdium,
Orbis redempti Cónditor,
Et casta lux amántium.
Qua victus es cleméntia,
Ut nostra ferres crimina?
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres?
Te cogat indulgéntia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus cómpotes
Dites beáto lúmine.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,

Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempitérna sæcula.

Amen.

✠. Dómine refúgium factus es nobis. **R.** A generatióne et progénie.

Ad Bened. Aña. Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos : sustinúimus eum, exsultávimus, et lætábimur in salutári ejus, allelúia.

Oratio.

Deus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devicta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti : concéde, ut hæc beneficia recoléntes, tibi perpétua caritate adhærere, et ejúsdem redemptiόνis fructum percipere mereámur. Per eúdem Dóminum.

Commemor. Dominicæ **occurentis.**

Ad Primam in R. br. ✠.
Qui redemísti mundum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Benedíctum. **ut supra ad Laudes.**

R. br. Rédime me Dómine, * Et miserere mei. Rédime. ✠. In ecclésiis benedicam té Dómine. Et miserere mei. **Glória Patri.** Rédime.

✠. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. **R.** Visita nos in salutári tuo.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. j.

EX ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.

R. br. Meménto nostri Dómine, * In beneplácito pópuli tui. Meménto.

✠. Visita nos in salutári tuo. In. **Glória.** Meménto.

✠. Redemísti nos Dñe in ságuine tuo. **R.** Et fecísti nos Deo nostro regnum.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. iv. d. v. c

Dignuses Dómine Deus noster accipere glóriam, et honórem, et virtútem : quóniam occisus es, et redemísti nos Deo in ságuine tuo ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum.

R. br. Notam fecísti in pópulis, * Virtútem tuam. Notam. ✠. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Virtútem. **Glória Patri.** Notam fecísti.

✠. Dómine refúgium factus es nobis. **R.** A generatióne et progénie.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis [354] præter Añam sequentem.

✠. Redemísti nos Dómine in ságuine tuo. **R.** Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnificat, Aña. Regnum tuum, regnum ómnium sæculórum, et dominiatio tua in omni generatióne et generatióne, allelúia.

Comm. Domin. occur.

DOMIN. POST OCTAVAM ASSUMPTIONIS B. M. V.

Purissimi Cordis B. Mariæ Virginis. Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. Mariæ V. per Annum [191] præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capitulum de Laudibus. [372] Psalmi et Hymnus de Comm. [191]

✠. Exsúlta in omni corde filia Jerúsalem. **R.** Rex Israel Dñus in médio tui.

Ad Magnif. Aña. Exsultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

Oratio.

Omniúpotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Mariæ Virginis di-

gnum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vivere valeámus. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus.

Commemoratio Domine occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave María, grátia plena : * Dóminus tecum. **Ps. Veníte. 2.**

In I. Nocturno.

Añã. Benedícta tu inter mulieres, et benedíctus fructus ventris tui.

Añã. Et ait María : Magnificat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Añã. Quia respéxit humilitátem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Anima mea liquefacta est. **℟.** Ut locútus est diléctus.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. Cap. iv.

Uam pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque

eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea, lábia tua : et elóquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclusus, fons signátus.

℟. Deduc me Dómine in via tua, et ingrédia in veritáte tua : lætétur cor meum, * Ut tímeat nomen tuum. **℟.** Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum. — Ut.

Lectio ij. Cap. v.

Veni in hortum meum soror mea sponsa, méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis : Aperi mihi soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea : quia caput meum plenum

est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi, ut aperírem dilécto meo : manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apéruí dilécto meo : at ille declináverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locútus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo : Deus Dóminus fortitúdo mea, * Super excelsa dedúcet me. **℟.** Læva ejus sub cápite meo, et dextera illius amplexábitur me. — Super.

Lectio iij. Cap. v. et vj.

Qualis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérima mulierum? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, filiæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérima mulierum? quo declinávit diléctus tuus, et quærémus eum tecum? Pulchra es amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta

mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Viderunt eam filiæ, et beatíssimam prædicavérunt : reginæ laudavérunt eam.

℟. Inveni grátiam apud oculos tuos, Dómine mi, * Qui consolátus es me, et locútus es ad cor ancillæ tuæ. **℟.** In toto corde meo exquisívi te, ne repéllas me a mandátis tuis. — Qui. **Glória Patri. Qui.**

In II. Nocturno.

Añã. Beáta, quæ credidisti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Añã. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Añã. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispérsit superbos mente cordis sui.

℟. Fortis est ut mors diléctio. **℟.** Dura sicut inférnus æmulatio.

Sermo sancti Bernardini Senensis.

Ex Serm. ix. de Visitat.

Lectio ib.

Uis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hómínis Genitríce quidquam módicum, sive grande præsumat pollútis lábiis nomináre. **℟.** Quam Pater ante sæcula Deus

perpétuam prædestinavit in Virginem dignissimam: Filius elégit in Matrem: Spiritus sanctus omnis grátiae domicílium præparavit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altísimos virgínei cordis, sanctíssimo ore prolátos éfferam, quibus non súfficit lingua ómnium hóminum, et étiam Angelórum? Dóminus enim ait: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogítari, quam illa, quæ méruiť éffici Mater Dei, quæ in corde et in útero suo ipsum Deum hospítata est? Quis thesaurus mélior, quam ipse divínus amor, quo cor Virgínis ardens erat?

R. Ego diligétes me diligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiae et glória: * Opes supérbæ et justítia. **V.** Ut dítem diligétes me, et thæsáuros eórum répleam. — Opes.

Lectio b.

DE hoc ígitur corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, id est verba ardentíssimæ cari-

tátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum: aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens: sic de corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi, summéque divíni amoris atque ardóris. Septem verba tantum miræ senténtiae et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elisabeth bis étiam. Cum Fílio étiam bis. Cum ministris in núptiis semel. Hæc septem verba, secúndum septem amoris actus, sub miro gradu et órdine proláta, quasi sunt septem flammæ cordis ejus.

R. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: * In me omnis spes vitæ et virtútis. **V.** Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. — In me.

Lectio bj.

QUÆ verba considérans mens devóta, cum ipso Prophéta ait:

Quam dúlcia fáucibus meis, idest ómnibus affectiónibus elóquia tua! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Virgínis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus ígitur per órdinem has septem flammæ amoris, verbórum Virgínis benedictæ. Prima est flamma amoris separántis. Secúnda amoris transformántis. Tértia amoris comunicántis. Quarta amoris jubilántis. Quinta amoris soporántis. Sexta amoris compatiéntis. Séptima amoris consummántis.

R. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotidie, et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salutem a Dómino. **V.** Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam: omnes qui me odérunt, diligunt mortem. — Qui. Glória Patri. Qui.

In III. Nocturno.

Añã. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Añã. Misericórdia ejus a

progénie in progénies tíméntibus eum.

Añã. Suscépit Israel puerum suum, recordátus misericórdiæ suæ.

V. Ego dilécto meo, **R.** Et ad me convérsio ejus.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. ij. g

IN illo témpore: Dixit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolétes quærebámus te. Et réliqua.

De Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Homil. Hiem. de Temp. Dom. I. post Epiph.

Mater ejus, inquit Evangelísta, consérvabat ómnia verba hæc in corde suo. Omnia quæ de Dómino vel a Dómino dicta, sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in corde retinébat, solícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum demum tempus prædicandæ, sive scribendæ incarnatiónis ejus adveniret, sufficiéter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quærentibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque óm-

nia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservádo.

R. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem : * Neque flúmina óbruent eam. **V.** Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectiône, quasi nihil despiciet eam. — Neque.

Lectio viij.

Horum Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus : horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuís, et male dulcorátis detractiόνnum collóquiis castigáre, atque ad divínæ frequéntiam laudis accéndere curémus. ¶ Si enim, fratres caríssimi, in futúri beatitúdine sæculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimirum et in hoc sæculo, quod in futúro quærámus, solícite præmonstrémus : frequéntádo videlicet Ecclésiæ límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominiatiónis ejus ea, quæ ad

laudem gloriámque Conditóris nostri proficiant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

R. Spíritus meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Qui audit me, non confundétur. * Et qui operántur in me, non peccábunt. **V.** Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. — Et qui. **Glória. Et.**

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis. Sed si transferatur, Lectio ix. incipiet a signo. Te Deum. 18.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Trahe me * post te, currémus in odórem unguentórum tuórum.

2. Diléctus meus * lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea.

3. Fulcíte * me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo.

4. Adjúro vos filíæ Jerúsalem, ne suscitétis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

5. Ego dórmio, * et cor meum vigilat.

Capitulum. Cant. viij. b

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brá-

chium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum, Sublímis inter sídera, Qui te creávit, párvulum Lacténte nutris úbere. Quod Heva trístis ábstulit, Tu reddis almo gérmine : Intrent ut astra flébiles, Cœli reclúdis cárdines. Tu regis alti jánuas, Et aula lucis fúlgida : Vitam datam per Vírginem Gentes redéptæ pláudite.

Jesu, tibi sit glória, Qui natus est de Vírgine, Cum Patre, et almo Spíritu, In sempitérna sæcula.

Amen.

V. Qui me invénerit, invéniet vitam. **R.** Et háuriet salútem a Dómino.

Ad Benedictus, Añæ. Extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Mariæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti :

concéde propítius, ut ejúdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum in unitate ejúsdem Spíritus.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Ad Primam in R. br. **V.** Qui natus es de Mariá Vírgine.

AD TERTIAM.

Capitulum. Pone me. ut supra in Laud. [372]

R. br. Anima mea, * Liquefacta est. Anima. **V.** Ut locútus est diléctus. Liquefacta est. **Glória Patri.** Anima.

V. Fortis est ut mors diléctio. **R.** Dura sicut inférnus æmulátio.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. xxiv.

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cœlis, ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texti omnem terram.

R. br. Fortis est, * Ut mors diléctio. Fortis.

V. Dura sicut inférnus æmulátio. Ut mors. **Glória Patri.** Fortis.

V. Ego dilécto meo. **R.** Et ad me conversio ejus.